LACHRYMAE

ACADEMIÆ MARISCHALLANÆ,

SVB OBITVM

Mœcenatis, & Fundatoris sui munificentissimi:

Nobilissimi, & Illustrissimi

GEORGII,

COMITIS MARISCHALLI,

DOMINI DE KEITH

ET ALTRE, &c.

Obiit v. April. Anno Domini MDCXXIII.

Ætatis vero LXX.

ABREDONIAE,

EXCVDEBAT EDVARDVS RABANVS,

ANNO DOMINI 1623.

LACHRYMAE

ACADEMIÆ MARISCHALLANÆ,

SUB OBITUM

Mæcenatis, & Fundatoris sui

munificentissimi:

Sodalium, & Filiorum

GEORGII,

COMITIS MARISCHALLI,

DOMINI DE KEITH

ET AMBRÆ, &c.

Obiit 7. April. Anno Domini MDCXXIII.

EXCVDEBAT EDVARDVS ROBANVS,

ANNO DOMINI 1624.

MEMORIAE
&
AMPLITVDINI
GEORGII,
Mariſchalli Comitis Illuſtriſſimi.

Ontendere olim de ſtirpe inſignis Homeri
Septem urbes, magni vatis amore pares.
Aſt *EXCELSE COMES*, Iove judice, Gentibus ecce
Lis eſt de tumulo major oborta tuo.
Gallia avet Fratri ſociare, Geneva peremptum
Quem flet & æterno carmine Beza ſacrat.
Vtque Danus recolat ſponſalia regia, cippum
Magno emat hunc; ſtrati eſt nec memor uſque Cami.
Hoc agit & veteres memorans Germania Cattos,
Saltûs Hercynii qui coluere ſinus.

Græcia ABREDONIAE reparatas ſpectat Athenas,
Spectat Athenæi mœnia ſacra novi,
Teque unum Aonidum columen ſibi vendicat uni:
Stemmate dum Proavûm SCOTIA mater ovat,
Dumque *MARISCHALLI* partes, Dublinia caſtra,
Perthumque & BruſsI fixa trophæa manu,
Ius Præfecturæ, geminum Proregis honorem,
Perpetuamque quater ſæcula bina fidem,
Spemque domûs Gnatum ſignat; *KETHEïA* per quem
Gens prope nobilior nobilitate ſuâ eſt.
Hæſit in ambiguo pater ipſe hîc Iupiter: inde
Litem ſic placidè compoſuiſſe ferunt.

DIVI ANIMAM, EXVVIAS ANIMÆ DVNOTRIA, FAMAM
COELI TOTA HABEAT MACHINA, TOTA SOLI.

DAVID WEDDERBVRNVS,
LITERATVRÆ POLITIORIS
PROFESSOR, ABREDONIÆ.

Α'ΠΟΘΕ'ΩΣΙΣ.

LVtea ab Eoo procedens littore bigis
Aurora, aſtrigero (traheret Phœbeïus axis
Cur tantas mirata moras) fulgebat olympo.
Cynthius ipſe graves verſans ſub pectore luctus,
Vertice ſepoſitis radiis, oſtroque decoris
Veſtibus, obſcuris involverat ampla tenebris
Tecta: ac interea mœſtis mandaverat Horis
Vt volucres paterentur equos præſepibus altis
Veſci, quò liceat merito indulgere dolori.
Hæc fatus, gemitus vix imo pectore duxit,
Cum ſubito tardis tres viſæ greſſibus almæ
Adventare deæ. Sophiam, Suadamque ſorores
Ex terris profugas, laniataſque unguibus ora,
Ducebat Pallas, ferales ipſa cupreſſus
Buxo pallidior geſtans, capitiſque virentes
Conculcans frondes, fuſis ſine lege capillis.
Limina prima deæ ſimulac tetigere, per umbras
Ad Phœbum tendunt, ubi ſolus vulnus alebat
Squalidus immenſum tecti in penetralibus alti.
Cui prior hæc Pallas lachrymis ita fatur obortis.
Hæccine firma fides? ſacras hæc vota paludes
Per Stygias, Erebique domos? ſic numina fallunt?

Atque adytis, proh! Phœbe tuis cortina ſacratis
Vſque adeo mentes lactat divûmque, hominumque?
Excidit annè tibi, quoties mihi multa roganti
Dixeris, æternos Sophiæ, Suadæque patronos,
Fautoreſque omnes ſemper fore? Neſtoris annos,
Non reſponſa dabas, niveo & numeranda lapillo
Tempora Tithoni victuros? quò tibi tandem
Nunc horum conceſſit amor? quò fata, fideſve?
Inventum medicina tuum? Vox plura volentem
Dicere defecit languens ſub faucibus imis.
Qualis, cum excelſis, rapido furit ore leæna
Trux catulis orbata ſuis, in montibus, omnes
Veſtigans oculis ſinuoſos undique tractus,
Amfractuſque loci, rupeſque, & inhoſpita teſqua;
Haud ſecus, atroces vultu teſtata dolores,
Ingemuit Pallas, preſſoque obmutuit ore.
Succeſſere Deæ comites, geminantque querelas.
Et præit hoc Sophiæ lugubri carmine Suada.

Heu nos! heu miſeras! nobis nova funera ſiccis
An ſpectanda oculis toties? totnè inclyta Divûm
Munera concludi buſto cernemus, & illos,
Phœbe tuas, Pallaſque tuas, noſtraſque tuentur
Qui laudes, adolent toties altaria tædis
Qui ſacris, cumulantque cadis libamina plenis?
Non alio, hos, cui corda patent, diſcrimine habebit
Quam gravium fœdâ vitiorum labe notatos?
Gloria quæ ſuperis reſtabit? quive minores
Reddent laude deos celebres, nobiſve litabunt?
Quod ſi, (quod perhibent) his ſint ſua præmia digna,

Cur non Phœbe pater, divis domus omnibus illa
Splendida KETHIADVM (jam multis ordine luſtris
Nobilitata Cami bellacis ſanguine) curæ?
Cur non ille, domus (quondam ah) decus, ille ſuorum
Majorum heroâ nulli virtute ſecundus
Heros? quid triſti pateris ſuccumbere morti?
Regalinè ideo quondam dignatus honore,
Prorex, jura dedit, flectens moderamine habenas
Regni, tot ſeclis & bello, & pace potentis?
Aut regi accendit tædas fovitque jugales?
Præfuit aut Boreæ? certis procereſve locavit
Sedibus, illuſtri Regem cingente corona?
Tales quippe vices ut ferrea fata rependant.
Hæc ſi non ſuperos tangunt, non illa moveret
Omnis in hoc uno virtutis firma catena?
Nam quò aliis major, tantò fuit omnibus omni
Syncerâ melior laude: unam namque bonorum
Hanc hominum propriam ſemper ratus, hac ſibi ſolâ
Gaudia captabat quæ, quippe perennia, ſævus
Non ignis, pelagive queant agitare procellæ.
Excelſum niſi per fanum Virtutis, Honoris
Haud adeunda ſacri ducebat limina templi.
Nam decori fuerit licet alto à ſanguine Regum
Nobilitas; præclara, alieni haud indiga, virtus
Hunc ſua tollebat ſupra mortalia, flamma
Vi propria ut ſurgit, cœlumque, & ſydera lambit.
Illecebris non hunc blandis divertere Galli,
Germanive omnes potuere, aut improba turbæ,
Italicis diffuſæ oris, contagia recto

Numinis à cultu, ſolido & virtutis amore.
Speque, Fideque alti ſemper confinia cœli
Spectabat, mentis flammans has ardor ad arces
Semper anhelabat, gelidas ut cervus ad undas.
Magnifica hinc illi molimina. Fraude maligna
Semotâ, jus, faſque animi coluere receſſus.
Non huic parca manus; Charitum ſed gratia larga
Reddidit illuſtrem pariter cœloque, ſoloque.
Clauſa domus nunquam miſeris, ſed ſemper aſylum
Præſens, atque inopi rebus ſolamen in arctis
Semper, Amaltheo promanans divite cornu.
Alloquio gnarus mulcere, & flectere mentes.
Hinc animo, ac vultu generoſo affabilis, atque
Comis cunctorum ſibi conciliabat amorem.
Quid quod opes Iuno indulſit Saturnia magnas?
Innumera & lætâ flaventia jugera meſſe?
Major at his virtus fuerat quæ neſcia vinci:
Quæque ipſum ſemper docuit præſentia cauto
Moliri, & prudenti animo, curâque ſagaci
Eventus rerum dubios, caſuſque futuros
Proſpicere, atque animo memori tranſacta referre.
Vtque tuo, O Pallas, clypeo ſeptemplici Perſeus
Gorgonis horrendum ſtridentia colla colubris
Diſſecuit; ſic ille, tuo ſacra tecta dicando
Præſidio, tenebras generoſis diſpulit atras
Horum pectoribus, qui nos, & noſtra per omnes
Diffudere plagas inventa, & nocte perenni
Cimmeriâ merſos illuſtrant lumine ſacro.
Vraniæ hinc ortus, Themidiſque, & doctus Hygeæ

Myſtarum

Myſtarum numerus, cinxit cui tempora quondam
Hæc domus æterno lauri viridantis honore:
Quos vel Cecropiæ laudent te judice Athenæ.
Inque dies domus hæc creſcit, creſcetque, benigno
Numine, ut arboreï fœtus, hederæque ſequaces.
Heu deflende heros! cur te tam dura tulerunt
Sæcula, cur tanti talem genuere parentes?
Anne gravi ut cippo fatis condaris iniquis
Ante diem, cum jam vegetâ, & viridante ſenectâ
Floreres, carpenda forent cum dulcia vitæ
Gaudia præteritæ, ſpes cum ſpectanda tuorum
Natorum, & nati quales naſcantur ab illis?
O quam te memori deflebit poſtera mente
Ætas! Quanta tuis aſſurget gloria rebus!
His dictis, Phœbus tandem ſic ora reſolvit.
Altius haud vobis, Divæ, ſub pectore triſte
Fatum quam nobis manet hoc, mentemque remordet.
Exemplo Heroïs careant quod ferrea tanto
Tanti ſecla, quibus verè vir rarior albo
Eſt corvo, cygnove nigro prope ſtagna Cayſtri.
Anne ego vel currum regerem, lucemve referrem
Inviſam mihi, jam toties, terræve, polove?
Ni me olim ſacro, Phaeton, tuus avius error,
Voto aſtrinxiſſet ſuperis, per lurida Ditis
Regna, & Tartarei latices Phlegetontis amaros.
Ne tamen immemores factorum ducite Divos
Tantorum, ſubeatve animum me fallere, ſortes
Fatorum quoties veraci mente recludo.
Me fratrem Phœbe ſpernet prius, ignea ponto

Sydera tingentur, brumæ miſcebitur æſtas,
Vivida virtutis pereat quam fama celebris.
Non animâ tellus digna eſt domus hoſpita tantâ,
Degravat erectam, frangitque ubi terrea moles
Corporis, anxietaſque gravis, luctuſque, laborque:
Optima quæque dies miſeris ubi diffugit ævi
Prima, ſubit morbus, morbi comes inde ſenecta
Effœta aecumulat ſibi mille ſubinde dolores.
Vita hominum fulvo quamvis reſplendeat auro
Conſpicuè, & gemmis, celantur quotquot Eoo
Oceano, quamvis titulos, ac ſtemmata jactet;
Exhibet incautis aloën infida, favique
Mellitâ mollitum animum dulcedine perdit.
Altius emergunt animæ quêis entheus iſte
Deſuper affulſit vigor, effinxitque Promethei
Dextera quêis corpus modulo meliore, lutoque.
Has (ſimulac terris inviderit Atropos oceans
Licia, vitales & clauſerit ætheris hauſtus)
Ignea vis ſurſum vehit, & ſuper æthera lætæ
Templa colunt, ſacra Templa colunt, quêis Theſſala Tempe,
Elyſiique lares, & fortunata vireta
Cedunt, ut ſoli tenebræ, mendacia vero.
Gaudia vera fluunt ubi plurima, qualia mentis
Anguſta humanæ capiat non capſula, quanta
Lyncea non acies videat, non auribus ullus
Hauriat attentis, non lingua expreſſerit ulla.
Hæc vos ſpes foveat. Mœroris pellite nubes
Sollicitâ nunc mente Deæ, vultuque ſereno
Ocyus hæc celeri mea juſſa capeſſite greſſu.

Dædaleâ,

Dædaleâ, domus eſt ſublimibus alta columnis,
Structa manu, crebrâque patens teſtudine, apertum
Prominet in pelagus latè quà Mernia læto
Vber proventu tellus, tumidumque laceſſit
Deſuper Oceanum ſublimi à vertice montis.
Indigenis jam dicta viris DVNOTRIA, (DIVUM
ATRIA quàm verè quis dixerit) undique patrum
Effigies priſcæ hic decorant notiſſima vobis
Mœnia KETHIADVM. Suada comitante ſorore,
Tu Sophia hæc cœlo ſubeas delapſa ſupremo.
Magnanimum hic primo gnatum ſolabere gentis
Spem claræ, & rebus dic quæ ſors certa futuris.
Hanc ego fatidico tibi paucis numine pandam.
Vtque parentatum fuerit de more beatis
Manibus, auguſtam terris deducite tandem
Huc animam, quippe hinc ortam, cœloque locate.
Hæc ubi dicta dedit, nitidis ſua tempora Phœbus
Accingens radiis, currus depoſcit, equoſque.
Ocyus at geminæ Zephyris, Euroque, relictâ
Pallade, certatim tendunt, properantque ſorores
Vnanimes, Phœbi ſolantes pectora dictis.
Nubila dum vero tranant, terriſque propinquant,
Montes, qui quondam ſoliti juga celſa ſub auras
Erigere æthereas, viſi ſubſidere, luctu
Complentes riguas lachrymarum flumine valles.
Montibus in ſummis Dryadum tum turba ſororum
Omnis, Hamadryadeſque, & Oreades, undique pulchra
Pectora tundentes, onerabant aſtra, deoſque
Alternæ, alternâ variatis voce querelis.

Nec minus, elatis prodebant queſtibus ægros
Luctu animos, ſtratæ paſſim per flumina mœſtæ
Naiades, & triſtes per florida prata Napeæ.
Doris & ipſa aderat, ſimul Oceanitides omnes
Nereïdes, penſis hyalis mœrore remotis,
Et crebros altè ſingultus pectore anhelo
Sedibus in vitreïs ducentes, funera tanti
Flevere Heroïs, fleverunt ſaxea Veſtæ
Viſcera, & horrenti ſqualentia marmora vultu.
Divarum hic vulnus ſub mente recruduit ingens.
Verum ſpem vultu ſimulantes, paſſibus æquis
Montem præruptum ſuperant, mœſtæque pererrant
Atria lamentis miſeris reſonantia, toto
It gemitus cœlo, ferit aurea ſidera plangor.
Solum quem Divæ voluere cubilibus altis
Inveniunt, victum lachrymis, luctuque gementem.
Inde prior Sophia hunc verbis compellat amicis.

Deſine jam tandem, magni Tu magne parentis
Nate, decus generis, gentiſque, O deſine juſtos
Incuſare deos, aut triſtia corda dolore
Exanimare gravi nimium, patriſque beatos
Queſtu ſolicito manes excire repoſtos.
Vſque adeonè mori miſerum eſt? Adeonè dolenda
Mors, vitæ melioris iter quæ pandit olympo,
Fortunæ imperium cæcum quæ terminat, atque
Victrix ancipites curas ſibi ſubjicit omnes,
Mortalis quâ fit ſuperi conviva tonantis?
Quem defles genitor, cœli nunc arce ſuprema
Indigitum dapibus fruitur, ſemperque fruetur.

Finibus

Finibus in regni Pharii licet aſtra petentes
Pyramides pereant, ac illa palatia celſa
Elea, & Mauſolei fortuna ſepulchri,
Non tamen ulla dies, donec ſol iſte diurnâ,
Nocturnâ aut Phœbe luſtrabit lampade terras,
Extinguetve tui nomen, minuetve parentis.
Quin te, invicte Heros, in cœlis te quoque fata
Exſpectant paria. Interea tu tramite recto
Virtutis patriæ illuſtris, nunc alter ab illo
Incedes, preſſoque leges veſtigia greſſu.
Te duce pacato creſcet gens aurea mundo.
Deſinet impietas te ſoſpite: pura meabit
Relligio in mentes hominum, probitaſque, fideſque.
Te duce Palladiæ ſemper pandentur Athenæ.
Naturæ pergent, te Mœcenate, latentes
Vires, & cauſas juvenes dignoſcere Phœbi,
Pieridumque cohors, Sophiæ quæ tecta Lycei,
Atque vireta terit Suadæ, Muſiſque ſacrata eſt.
Hinc tibi ſurget honos, qualem non lota Galeſo,
Murice vel Tyrio donarit coccina læna,
Non Lybicæ dederint menſæ chryſendeta, gazæ
Non effoſſæ omnes Arabum, Nabathæaque regna.
Hinc domus, atque omni imperium ſine fine manebit
KETHIADVM: deeritque tuo de ſtemmate nunquam
Qui præſit, magnorum haud unquam indignus avorum.
Dixerat, hinc Phœbi memores ſubiere ſorores
Tecta poli, atque animam Heroïs fundamina cœli
Mirantem menſis adhibent, Divûmque catervis.

ἘΠΙΤΆΦΙΟΣ

τοῦ αὐτοῦ.

Ἕρκεο μυρόμεναι τὴν νεκρὸν πῶς περικεῖνται
ΠΙΈΡΙΔΕΣ, ΧΆΡΙΤΕΣ τ', ἠδ' ἈΡΕΤΗ, ΣΟΦΊΑ.
ΠΙΈΡΙΔΕΣ πρῶτον πρὸς τικτομένω γελάεσκον,
Ἀδοῖσαι μέλεσιν ἡδυθρόοισι τόκον.
Θεσπέσιαι τυτθὸν ΧΆΡΙΤΕΣ μαστοῖς γλαγόεσσι
Ἐξέτραφον, πάρεχον θαυμασίαν τε χάριν.
Ἔπλετο τῶδ' ἈΡΕΤΗ πολύολβος ὁμόστολος αἰεί,
Ἡ κτεάνων πλῆθος ταῖς πραπίδεσσι πόρεν.
ΗΎΡΩΣ ἀλλὰ σοφὸς ΣΟΦΊΑΝ κτεάτεσσιν ἀγαυὴν
Λαμπροτάτοισιν ἑοῖς δήθ' ἀτίτηλε δόμοις.
Χήτεϊ τοιοῦδ' ἀνδρὸς ὄδυρεο ἱμερόεντος
Ὅστις εἶ, ἀζόμενος τὴν τάφον ἠδὲ νέκυν.
Καὶ λέγε, Αἶ, Αἶ, ὅττ' οὐκ ἴσχυον αἶδε θέαιναι
Οὕτως ὃν στέργον κἄφθιτον ἀνδρὰ θέμεν.

Ponebat Gulielmus Wedderburnus
Abredonensis, Græcarum literarum
In Academia Marischallana Professor.

IN EVNDEM.

I.

SI damna æternæ lachrymæ reparare valerent
Magne Heros obitu conciliata tuo,
Fundere ceſſaret mundus pro funere, at omnes
Cum ſuperes lacrhymas, anne ſilebo meas?
Stirpe licet prima fueris, regaliaque arma
Tractares, prior hac mens generoſa tamen,
Quâ melior Pandora, ſuo conſiderat omni
Virtutum ſacro concomitata choro.
Mens miranda velut lampas Phœbæa relucens,
Emiſit radios orbis in omne latus.
Larga manus ſacrique oris facundia rara,
Queis fama ad ſuperas eſt tua vecta plagas.
Ingentes multorum animos ingentior ipſe
Viciſti, & victi procubuere tibi.

Ante morâ Fabius

Fabius ante morâ, ſuſceptis Scipio rebus:
Et Cæſar victis Iulius unus eras.
Arctois Helice in terris, Cynoſuraque cunctis,
Atque pater patriæ ſolus ubique tuæ.
Et vultu & geſtis conſtans tibi ſemper, avorum
Gloria, venturæ poſteritatis apex.
Eximium de te qui dixerit omne, fateri
Cogetur ſphæram laudis abeſſe tamen.
Qualis enim & quantus fueras belloque togâque
Dicere, cunctiſcii eſt munus opuſque DEI.

A. MASSEVS.

IN EUNDEM.

II.

PROSOPOPEIA.

Iſte viator iter pauliſper, quæque ſepulchro
Extant marmoreo lemmata ſcripta lege.
Funde legēs lachrymas lachrymarū nō tibi ſolū
Sed cunctis eheu non data cauſa levis.
Bello & cæde Cami cui plus quam floruit annis
Bis quadringentis nobilitata domus:
Cui genus à priſco *SCOTORVM* ſtemmate regum
Et regni procerum (proh dolor) ecce Comes:
KETHVS majori quo non ſe jactat alumno
SCOTIA, deliciæ gentis honoſque ſuæ.
Atria magnificis majorum fulta triumphis
Splendebant, opibus non ſine Crœſe tuis.
Aſt his contentus nondum fortiſſimus Heros
Cui potior proprio Marte paratus honos:
Protinus in ſummam cathedram penetravit honoris,
Et pariter cunctos nobilitavit avos.

Ornabant pietas, animus quoque largus, ab omni
Parte probata fides, his quoque juncta Charis
Mundo non soli genitus sibi, sumptibus amplum
Hospitium musis præbuit ille suis.
Hinc fora Causidicos, habet hinc Ecclesia fidos
Pastores, habet & Curia sancta patres.
Gallia doctores petit hine, Germanus, Iberque,
Nec non qui liquidas Tibridis haurit aquas.
Sed nunc heu tristes fletus ad funera fundunt
Pierides, passis post sua terga comis.
Et violas spargunt, supremos thuris honores
addunt, & querulis verba sonanda modis.
Nulla tuam Generose Comes doloverit ætas
Famam, & si corpus livida claudat humus.
Parta tibi cœlo requies, cœlestibus adstas
Conciliis, summo perfruerisque bono.
Nos tamen interea laudes super astra feremus,
Est mortis tanti nescia fama viri.

Posuit Andreas Masseus Abredonensis
Logicæ Professor in
ACADEMIA MARISCHALLANA.

Ejuſdem incomparabilis Heröis

EPITAPHIVM.

Hic KETHI tumulus. Vaſti templa ignea mundi
Reclude; haud fient cætera nota tibi.
Quæ jactat telſus, tantum veſtigia laudum:
MAXIMA, quæ vivax aëre fama canit,
Sol quà ſe Eoo, quà gurgite tingit Ibero,
Extima ſunt tenui verba relata ſono.
Denique ſidereï quæ ingente volumine cœli.
Phœbi depinxit, Caſtalidumque manus,
Teſſera grati animi. Miraris? jure. Stupeſcas
In ſolo hoc, tanta, haud mira fuiſſe Viro.

Iacobus Sibbaldus, Philoſophiæ naturalis in Academia Ma-
riſchallana Profeſſor.

His accessere in obitum eiusdem Comitis,

Vernaculo idiomate conscripta Carmina,

A GVLIELMO GVILD ECCLESIÆ,

REGIS-EDVARDI RECTORE

Dignissimo.

To the Mourners.

IN saddest Sable of the Dolefull Hue,
Which Atropus *to Mourners doth allot,*
Let everie one (bidding to Mirth Adue)
To Threnodies now tune their Treble Note.
And so with sad Melpomene *deplore*
A Matchlesse Losse, and if wee could say more.

Of the Defunct.

HEroicke Worth, with Vertues rare,
In-shesled in this Coffin are.
Kirke, Kinne, and Countrey losing one,
Whom each Eye justlie may bemone.

Vpon His Diton, VERITAS VINCIT.

AS Trueth ov'r-comes, and doth victorious rest,
Thy loue to Ie *hath made* Thee *now most blest.*
Which with Thine *happie Off-spring to remaine,*
Shall bee to them their onlie Glore and Gaine.

W. G.

FINIS.